



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Quibusnam technis nitatur diabolus subuertere Christi tyronem, vtq[ue]  
sola obedientia per abnegationem & mortificationem, sit spes spiritualis  
profectus. Epist. IX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

aut dum fuerit ieiunandum (quod aiunt) collationem sumpturus, librum explicata ante oculos sub refectione legendum. Deinde ad pulsum Completorii vsque scribere potes: hinc lectione breui spirituali recreatus, oratorium mox ingrediaris: quid hac die contra leges Dei, quid contra sanctum institutum tuum deliqueris in examen adducas. Veniam à Deo delictorum petas propositum bonum restaures: & fusa oratione ad Deum pro directione atq; custodia tui, matri tuæ beatæ Mariæ te commendes: & postremo horam nõ excedendo ad quietem somnumq; te recipias. Vale.

Quid sub lecti ingressu sit agendum.

*Quibusnam technis præcipuis nitatur diabolus subuertere Christi in religione monastica tyrannem, utq; sola obedientia simplex per abnegationem mortificationemq; omnium propria voluntatis, propriorum consilij intellectus, iudicij sensusq; sit spes spiritualu profectus, ac demq; via directa ad æternam beatitudinem.*

## Epistola IX.

F. IOANNES IVSTVS, LANSPERGIUS, CARTHVS.  
ad eundem filium charissimum donatum ordinis amictu, & in nouitium constitutum monachum.

**F**ILII charissime, suscepi te hodie in filium, & tu me suscepisti qualẽcunq; in patrem. *Quos Deus coniunxit, homo non separat.* Insi diabitur nobis diabolus, & vtriusque salutem inuidet: meo studio, tuo profectui: meæ vigilantia, tuæ obedientia. Et totis niteretur viribus, ut diuortium displicentiamq; inter filium & patrem exuscitet, sciens quantum boni per hoc impedire, quantum rursus mali hoc dissidio possit parere. Vigilemus igitur contra aduersarium salutis nostræ: & tu me talem cogita, qui licet imperfectus, licet peccator, & multis, ut cæteri homines defectibus obnoxius, tamen salutem tuam fidelissimè conlulet: cui si acquieueris, in virum Deo acceptum euades. Equidem obedientem filium (crede mihi) possum imperfectus ipse, perfectum reddere, diuina gratia, non secundum mea opera, sed secundum tuam humilitatis obedientiam in te operante.

Matt. 19.

Quocirca quicquid dixerò, quicquid tibi persuasero, non aliter accipias, atque à Domino Iesu, qui per peccatorem, ut olim per Caipham, & per asinum dictam Balaam, te erudit. Si igitur ita senseris, impossibile est, quin ad omnia tibi asserat Deus ductor & saluator. Si aliter senseris, non ductor tibi ipse eris, sed deceptor & deceptus: seducens & seductus: cæcus & ignarus. Quicquid faciendum sit, hilari animo occurre, quia tristis non placet Domino suo seruus. Tristitia namque inuitum animum prodit. Tristitia gratiam non meretur: quia nemo acceptum fert, quicquid inuito collatum fuerit animo. Ita que sic age, ut tu lætitiã in corde de bono opere & gratiam inuenias apud Deum ex bona voluntate. Quicquid agendum est, quocunq; eundem, non differas: Mora omnis, aut ignauium, aut non voluntarium animum ostendit. Studeas ubique primus esse, non vltimus. Tu alios expecta, nemo te. Tu primus in choro Christum suos milites præstolantem saluta primus, gratiam eius pete. Sancta utaris superbia, ut dolor tibi sit verecundia & feruens quædam æmulatio, si quispiam te in bono præuenierit. Quicquid tibi fuerit mandatum

Ut superiorum dicta tanquam Dei accipienda sint. Ioan. 11. Nu. 22. Tristitia mala, gratiam non meretur.

Sancta quædam superbia, ut sit vltimum.

datum



datum quicquid exequendum, fideliter agas, secundum imperantis aut instituentis animum: ut operis tui fructus iuxta ac premium non pereat. Bona ac feruens voluntas tibi insit necesse est, ac propria deuotio ad omnia quæ iubentur imponuntur, & quæ ipse cognoscis tum Deo, tum proximo propter Deum beneplacita: ut cognita Dei aut proximi licita voluntate, currat ad obsequendum animus, nec propria voluntas, proprius amor, aut respectus circa temetipsum quouis pacto te retrahat, impediat aut moretur: quin omnibus posthabitis, quæ Dei sunt primo, id est potissimè quæras, teque & tua propter ipsum contemnas. Porro ubi proximo obsecundas non fauoris aut commodi temporalis gratia captandi id facias, sed Dei contemplatione hoc est, ut Deo placeas, proximo studeas placere & morem gerere. Idè in his quæ illicita sunt & contra Deum, ut Deo nemo potest placere, ita nemo debet proximo obsecundare. Neque enim fas est ut placere velis proximo in eo quod displicet Deo.

Feruorem bonæ voluntatis roborare debet humilitas, nihil sibi sed Deo omnia tribuens, quæ scias nihil te posse, nihil scire, nihil habere nisi à Deo, & per Deum. In te ergo, id est, in quantalibet feruida voluntate non confidas, sed in miseratione Dei, in adiutorio & protectione altissimi. Multi ceciderunt vel deuotissimi sine hac humilitate, per præsumptionem spiritus, existimantis se aliquid esse, aut posse, quod non fuerunt, nec nisi per Deum aut

in Deo potuerunt. Placet Deo feruor voluntatis, sed humilis, puta qui sibi, id est, homini non innititur: sed soli Deo. Hic namque qui dat velle, dabit etiam perficere: aut coronabit bonam voluntatem (ubi facultas abest perficiendi) perinde ac opus consummatum. Proinde ad eandem humilitatem

pertinet, non modo ne viribus, verumetiam ne consilijs proprijs fidat. *Est via, inquit scriptura, quæ videtur hominibus recta & nouissima eius ducunt ad interitum.* Quæ bona sunt non omnia à Deo suggeruntur. Suggestit etiam diabolus non nihil interdum boni, quo fallat perniciosius: quandoquidem malum dum bonum creditur, defenditur: tantum abest, ut proficiatur. Ad vitandum hoc periculum, humilis omnia sua consilia ante ad trutinam offert magistri sui, quam eat in opus, illius consilio & credens, & obtemperans.

Vnde fit ut in bono semper proficiat, deficiat nunquam. Tutior etiam fit à nimietatis (quam indiscretionem vocant) periculo, quæ feruentibus spiritu infidari solet: interponente etiam versipelle illo hoste nostro suas fraudes quibus bona voluntate feruentem non sinit quiescere: sed agit ad opera, studia, exercitijs semper plura, & magis ardua: non quo meliorem efficiat, sed ut præcipitet ad pericula inextricabilia, feruoremque tandem nimietate omnem extinguat, atque ad eam deuotioni aduersantia inducat, ut satius foret bona studia intermisisse, quæ se ad eam inutilem sibi & omnibus grauem facisse per indiscretionem.

Cauendum igitur magnopere tibi fili à præsumptione spiritus: & exercitia neque assumenda iuxta feruoris impetum, neque pro spiritus inopia remittenda: sed omnia incipienda moderandis sunt secundum patris spiritualis consilium: quo fiet ut inter utramque partem recta eas via, ne quid minus, ne etiam quid nimis agas. In Collationibus Patrum cæterisque sanctis historijs legimus, & oculis nostris conspeximus, quanta mala siue nimia remissio, siue feruoris immoderatio pariat, cum illi vix maneant Christiani,

Bona voluntas humilitate firmada  
Psal. 90.

Phil. 2.

Proprijs neque viribus neque consilijs fidendum.  
Prou. 14.  
Cur diabolus hortetur ad bonum.

Indiscretio ut imponat feruentibus.

Exercitia spiritualia consilio assumenda.



hi autē efficiantur deliri: aut post omnem præsumptionem quasi ad vomitū redeuntēs, solis carnis consolationibus ( ne quid interim cœdius dicam ) cōperiantur deditissimi. Beatus feruor deuotionis, quē moderatur obediētia. Beatissima humilitas quē nulli capiūt laquei, nullā decipiunt insidiæ inimici. Itaq; esto feruens ad omnia, quæ Deo placent: exequendo autem feruorem, esto humilis, nihil de te præsumens, nihil de te confidens, nil tibi ipsi credens, sed in Deo solo sperans, & humano magisterio propter Deum perfectē te subiiciens. Hæc est regula, hæc via qua sancti omnes olim monachi & anachor: etæ ad sanctitatem perfectissimam peruenerunt. Per hanc tentationes, diaboli laqueos, pericula denique omnia euaserunt. Ad hanc Patrum fuit prima institutio, præcipuèq; uolentibus Deo in monasterio seruire tradita. Hæc basis atque fundamentum anhelantibus ad perfectionem, ut relicta exutaq; omni proprietate sensus, consiliorum, uoluntatis, iudiciorum, opinionum & huiusmodi, ducantur in omne beneplacitum Dei. Ad quæ, ut maiori accendaris desiderio, & ut imitandi conatus feruorisq; studium nunquam tibi delit, operæpretium est dicta sanctorum patrum nonnulla hic tibi adducere, quibus extimulatus proprietatem internam cordis, ut derestabilem pestem, maximeq; noxium impedimentum spiritalis profectus semper auerferis.

Non putes tamen quod multorum sanctorum Patrum sententias huc citandas congregare uoluerim, sed nonnullas tantum, quo ad uertas ex paucis generatim, aliorum quoque diffinitiones & sententias. Dicit enim ( ut ab ipso deuotissimo spiritalis profectus æmulatore exordiar ) sanctus Bonauentura. Totā religionis profectio, in uoluntatis propriæ abdicatione consistit. Item: Quicquid uice præcipit homo, quod non sit certum displicere Deo, hoc omnino sic accipiendum est, quasi præcipiat Deus. Eadem penè uerba dicit deuotissimus Bernardus. Bonauentura iterum: Sanctæ obediētiæ holocausto nihil Deo exhibetur gratius. Idem: Nemo ad perfectionis semitam currendam magis expeditus, quàm uerus obediens.

Cuiusmodi uerò debeat exhiberi obediētia, non tacet idem, dicens: Bonus obediens uerbum non expectat, ubi de superioris sibi confiterit uoluntate. Pari modo, uerius quoque eadem affirmat Bernardus.

Porro beatus Hieronymus sanctam Paulum simplicem Antonij Magni discipulum commendans, quam multo fuerit exercitio ad obediētiā eruditus atque consummatus, inquit, quod Antonius eum obediētiā simplicem docere uolens, multa solitus fuerit ei præcipere, quæ neque ratio, neque causa aliqua poscebat, quibus ad obediendum eum in simplicitate exerceret. Proinde eum haurire aquam ex puteo iussit tota die, iterumq; eandem in terram effundere: contextasq; sportas denuo soluere, iterumq; retexere: uestimenta iterum snere, atque iterum soluere: alia quoque multa, quæ contra humanam sapientiam ( quæ prudentia carnis uocatur ) stulta uidebantur, eidem præcepit, ut in plenam sui ipsius abnegationem, atque in perfectam perduceret obediētiā. Faciebat hoc ideo Antonius, quo doceret, eam qui uellet ad perfectionem celeriter uenire, non sibi ipsi fieri magistrū, nec proprijs uoluntatibus obedire, quamuis rectum sanumq; uideatur, quod uelit.

Quantum noccat tum nimia laxitas, tum immoderatus feruor.

Humilitas à laqueis tuta.

Quid præcipue ad perfectionē aspiranti. Fundamentum acquirenda perfectionis.

Proprietas cordis quæ exitiosa.

Bonauent. Obediētiæ mira præconia.

Bernard. Bonauent.

Obediētia ut sit exhibenda.

Bernard. Hieron.

Rom 8. 1. Cor 1.

Celeriter perfectionē obinere uolenti, quid faciendum.



- velit, sed mandatum Saluatoris obseruare debere, iuxta quod vnusquisque, qui post illum vult venire, abnegare debet semetipsum: hoc est, relinquere, frangereque debet voluntatem propriam & alienam propter Deum sequi etiam bonam, licet ex conditione aliqua fortasse imperfectiorem, propter sui tamen abnegationem optimam. Hoc namque & Christus fecit. *Ego veni (inquiens) non vt faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me.* Et certissimum est, Christi non potuisse contrariam esse voluntatem Patris voluntati: dicit tamen se suam non fecisse, ne qui obedientiam docere venerat, inobediens inueniretur.
- Matt 16.** Abnegare seic quid sit.
- Ioan. 6.**
- Simplex obedientia ad quantam perfectionem cuexerit Paulum simplicem.**
- Quanto igitur igitur nos iudicabimur non obedientes, si proprias fecerimus voluntates? Per hanc enim simplicitatem Paulus in tantum spiritualium gratiarum culmen est euectus, vt multo plures ac perfectiores per ipsum Dominus virtutes faceret, quam per sanctum Antonium. Quamobrem iussit illum sanctus Antonius in interiori eremo commorari, vt quos curare ipse non posset, ad Paulum mitteret sanandos.
- Vincent.**
- Vincentius sanctus Ordinis Prædicatorum, sciendum inquit, quod homo facilius & in breuiore tempore possit ad perfectionem pertingere, si instructorem habeat, cuius regimine ducatur, cuiusque obedientiam in omnibus actibus paruis & magnis sequatur totaliter: quam aliquis possit seipsum perficere, quantumcunque vigeat lumine intellectus & libros habeat, in quibus videat virtutum omnium structuram exaratam. Imò plus dico, quod nunquam Dominus Iesus Christus suam gratiam ministrabit (sine qua nil possumus) si homo habet à quo possit instrui & deduci, & negligit, vel non curat alterius ducatum amplecti, credens se posse sibi sufficere, & per se inuestigare ac inuenire, quæ sunt vtilia ad salutem.
- Gratiam suam Deus cui non partiatur.**
- Abbas Moyses.**
- Abbas Moyses in Collationibus Patrum: Sciendum inquit, neminem definitionibus suis posse, vel iudicio proprio confidentem perfectionis culmen aliquomodo conscendere, sed nec diaboli pernitiōsa quidem illusione non decipi. Item: Humilitatis hæc erit prima probatio, si vniuersa, non solum quæ agenda sunt, sed etiam quæ cogitantur seniorum referuentur examini: vt nihil suo quis iudicio credens, illorum per omnia definitionibus acquiescat: vt quod bonum vel malum debeat iudicare, eorum traditione cognoscat. Quæ institutio per veram non solum discretionis viam iuuenem recto tramite docebit incedere, verum etiam à cunctis fraudibus, & insidiis inimici seruetur illæsum.
- Humilitatis argumentum.**
- A fraudibus diaboli quis immunis sit Gregor.**
- Nullatenus enim decipi poterit, quisquis non suo iudicio, sed maiorum viuit exemplo, nec valebit ignorationi eius callidus hostis illudere, qui vniuersas cogitationes in corde nascentes pernitiōsa verecundia nescit obtegere, sed eas maturo examine seniorum vel reprobat, vel admittit. Diuus Gregorius quoque ait: Ne curre ad hominem viuum: Deum in homine consule: aperi impedimentum, & quære medicamentum. Ausculta non hominem de se mendacem, sed per hominem Deum veracem, respondentem, docentem, consolantem, & hortantem: & disce diligenter, ne sensu proprio pro tollendo impedimento, tali forsitan vtaris remedio, vnde postmodum maioris impedimenti occasio oriatur. Bern. ad Ogerium scribens, qui dimisit curam pastoralis officium, & cum potuisset sui iuris mansisse, subiecit se suo abbati, ita ait: Pastoralis vinculo solutus, sicut alijs dominari renueras, sic tibi quoque præesse timuisti, quique vt magister
- Bernar.**



vt magister esses aliorum, minus te iudicabas idoneum, nec te quidem tibi credens, tuus fieri discipulus contempnisti. Et merito: quia qui se sibi magistrum constituit, stulto se discipulum subdit. Et quidem quid alij de se sentiant, ignoro: ego de me expertus sum, quod dico: & facilius imperare, & securius possum præesse alijs multis, quam soli mihi. Prudens ergo humilitas, humilisq; prudentia fuit, quod nequaquam credens ad salutem te posse sufficere tibi, alieno potius arbitrio deinceps viuere proposuisti.

Dixit item Syncretice: quæ congregatione cuiuslibet conuersanti magis obedientiam, quam continentiam proponimus: quoniam continentia arrogantiam habet, obedientia autem humilitatem congruam pollicetur. Dicebant senes in vitis patrum: Si quis habet in aliquo fidem, & tradiderit se ei ad subiectionem, nõ debet intendere in mandata Dei, sed patri suo spirituali omnem suam voluntatem committere, quia per omnia obediens non incurrit peccatum apud Deum. Item dicebant. Nihil hic quarit Deus ab his, qui habent primitias conuersationis. Quando aliquis cum innocentia & simplicitate dimittit se in manibus alterius, ex tunc non dat locum maligno contra seipsum. Item: Animæ fictæ & apparenter subiectæ non prodest obedientia. Diuus Ioannes in Climachus: Obedientia est nauigatio sine damno, & est ire per viam dormiendo. Item: Quidam monachi portabant tabulas ad cingulum, in quibus suas describebant cogitationes, & reuelabant abbati. Ille qui prodit serpentem pro glato suo, id est, tentationes, ostendit fidem efficacem ad eum, sed qui celat, ambulat in tenebris. Qui patribus non obsequitur, Deo non obsequitur. Dicit enim Dominus: *Qui vos spernit, me spernit.* Qui ergo contemnit Apostolos, contemnit Christum. Qui contemnit patrem, contemnit Christum. Hoc dico, quia hæc in vobis summa & sola est virtus obedientiæ. Si ieiunaueris diebus & noctibus, orationemq; feceris, si in sacco & cinere fueris, si aliud nihil feceris, nisi quodcumque præceptum est in lege, & tibi visus fueris quasi sapiens, & obediens patri non fueris, omnes virtutes perdidisti. Vna obedientia plus quam omnes aliæ virtutes valet. Debemus eam, quam professi sumus, obedientiam & virtute & opere custodire. Quod tunc agimus, cum eum qui nobis præest, pro amore Dei honoramus atque diligimus, & quicquid nobis ab eo præcipitur, tanquam ab ipso cœlesti Domino fuerit imperatum, libenter implere festinamus, Prælatum enim Christi vices agit in monasterio. Vnde ipse suis pastoribus ait: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Sicut enim gaudere debent & magnum à Domino expectare præmium, qui libenter obediunt: quia quod ipsi maiorum iussu faciunt, hoc ipsi auctori Deo impendunt: sic nimirum magnum timere & expectare iudicium debent, qui prælatorum suorum iussa despiciunt: quia cum prælati contemnitur, non ipse, sed is, cuius loco positus est, contemptui habetur. Nec potest Deus à nobis sine magno fructu honorari, nec despici sine magno detrimento. Debet enim esse obedientia sine mora: non cum murmure, neque cum tristitia animi, sed cum gaudio & hilaritate. *Hauriem enim datorem diligit Deus.* Bonus autem quod cum tristitia fit, Deo non est acceptabile: quia ipse magis est inspector cordis, quam corporis.

Debet autem obedientia esse vsque ad mortem quia vsque ad mortem patri suo propter nos obediuit Christus. Ad hoc sanctum præceptum ipse suo

Prudens humilitas & humilis prudentia inst.

Syncretice.

Obedientia ficta nihil prodest. Climach.

Luc. 10. Virtutes omnes vt percant sine obedientia.

Luc. 10.

Obedientia sit sine mora. 2. Cor. 9.

Sit obedientia pericue-



rans vsque  
ad mortem.  
Philip. a.  
Matt. 11.  
Gen. 2.

exemplo noster redemptor nos admonet, dicens: *Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Non potuit Deus perfectius demonstrare, quantum bonum sit obedientia, nisi cum prohibuisset ab ea re, quæ non erat mala: in qua obedientia palmam tenet, sola ibi inobedientia inuenit poenam.

Ioan. Casi.

Volebam hic ex Casiano plura citare: ar tanta se scribendarum sententiarum copia obtulit, vt horrerem. Legatur totus liber de renunciantium institutis: qui nouis religiosis necessarius est iuxta ac vtilissimas, veramq; sui abnegationem perfectè docet. Bernardus denique aded multa de obedientia differt laude, tamq; multa in detestationem propriæ voluntatis, propriæ sensus aut consilij vt nimis foret laboriosum huc omnia eius dicta præclara congerere. Requiritur in Indice in omnia eius opera collecto, quid de obedientia sentiat.

Orationes  
debitè vt fiat  
soluendè.

Postremo fili hortandus es, vt ea quæ orare debes aut soluere vocaliter, absoluas non perfunctoriè, festinanter, & quasi aliud interea mente agens, sed strenuè cum cæremonijs integris, & diligenter, vt quotiescunque te euagari senseris mente, mox ad attentionem te reuoces. Obserua ne in choro stas neque cantes, neque legas, sed aut aded somniculosus, aut aded distractus sis, vt putes te omnia cum conuentu soluisse, cum ad integros, aut medios Psalmos quandoque ne os quidem moueris. Si animam tuam non vis periculo

Repetenda  
vt fiat quæ  
non soluantur  
debitè in  
precibus Ec-  
clesiasticis.

exponi, obserua diligenter ac vigilanter, ne quid à te prætermisum aut male solutum non reperas. Omnia enim quæ non soluis cum conuentu, solus postea teneris legere, aut cum socio. Necessè est enim vt semel integrè soluas, idq; quotidie, quæcunque debes. Itaque fili quæcunque legis aut canis deuotissime cura vt cantes vel legas & si quid neglectum per te fuerit in choro, postea recupera. Studium enim tibi esse debet indefessum deuotè attentèq; soluendè officium diuinum, vt si plus illo nihil feceris boni, saltem hoc ipsum quod debes, bene per te fiat.

*Vt tyro Christi in monastica militia nouellus sese in externis obseruantijs ordinis, & internis exercitijs institutisq; verere debeat.*

### Epistola X.

F. IOANNES IVSTVS LANSPERGIUS CARTHVS.

Fratri Henrico Cantuariensi, nouitio Carthusiano ex Vuesalia nato, filio prædilecto salutem.

Morales  
quædam in-  
stitutiones.  
Oculi vt sint  
seruandè.

**C**harissime fili, quantum exteriorem hominem concernit modestia regularis nonnulla in statutis nostris docetur, quæ à magistro tuo, vt cætera omnia, tibi dicentur. Hic quædam, vt in mentem venerint, generalia scribam.

Oculos vbiq; maxime in contentu & inter alios constitutus contineas, euagationem visus & curiositatem explorandi arcendo, vt præter necessaria nil videre gestias. Loquens etiam alicui, aut audiens, oculis demissis & capite paulatim humiliato, religiosam mentem exterioribus moribus ostendas.

Manus vt  
sint reuolue-  
ndæ.

Manus pendulas & brachia cadentia, seu volantia nunquam teneas: sed stans, loquens ambulansq; manus ante pectus habe compositas.

Inter